


F. K. 60.

3

X 2055028




RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
FUNUS
VENERABILIS PRÆSULIS
DN. GEORGII
LEHMANNI,

S. Theologiæ Doctoris & Professoris Primariū,
Pastoris ad S. Nicolai, Diœceseos Superintendentis,
Consistorii Ecclesiastici Assessoris, Canonici Misnensis, Academiae
Decemviri, Nationis Misnicæ Senioris, Collegii Minoris
Principum Collegiati, longe me-
ritisimi,

hodie XXIII. Martii, A. C. M DC. IC.
hora I. ducendum

Civibus Academicis indicit.





Extus Annus est, ex quo Venerabilis Præful D. Georgius Lehmannus, S. Theologiæ Professor Primarius, Pastor ad S. Nicolai, Diæceseos Superintendens, Consistorii Ecclesiastici Assessor, Canonicus Misnensis, Academia Decemvir, Nationis Misnicæ Senior, Collegii Minoris Principum Collegiatus, cujus nuper inter cælites recepti, exequias indicimus, elegantem libellum edidit, *Ἀνθρῶπιον θεωρεῖν* inscriptum, sive Nihil, Aliquid & Omnia Theologorum, in Actis Eruditorum merito relatum, eodem quo prædiit anno M DC XCIII. mense Augusto. Inciderat in librum Oxoniæ, Anno M DC XXI. à Johanne Thornbourg, Episcopo Wigornienfi in Anglia, evulgatum, ac hoc titulo insignitum: *Ἀνθρῶπιον*, sive Nihil, Aliquid & Omnia Antiquorum Sapientum, vivis coloribus depicta Philosophicotheologicæ, in gratiam eorum, qui artem auriferam physico chymice, & pie profitentur. Dicunt enim artifices illi *χρυσόπαισι* se efficere Nihil, dum compositum solvant ac putrefaciunt, Aliquid, dum putrefactum ab impuritate corrumpente abluant, ablutum coagulent, ut aqua desiccetur, coagulum calcinent, calcinatum figant, ac sic tandem Omnia, hoc est, Lapidem Philosophorum obtineant. Eadem ratione cordato Theologo, de Lapsu, Conversione, & Regeneratione Hominis differenti, Nihil Theologorum est Homo in peccatis mortuus, Aliquid Homo idem gratia divini Verbi ad vitam Spiritualem excitatus; Omnia, Homo regeneratus & justificatus, perficientis gratiæ auxilio se quotidie renovans; Omnia inchoate in hac immortalitate, consummate in altera immortalitate. De qua meditatione doctissimi Theologi, si prisca voce clamerent: *Numera Senatuum Theologorum; Licebit pronunciare; Omnes Omnes in hanc eunt sententiam.* At si de Chemicorum processu quæras, Sapientes omnes fere discedent. Etenim id genus hominum ex Omnibus aliquid, ex Aliquo Nihil solet efficere. Fidem ab antiquo faciunt rythmi Germanici, à Georgio Remo Jcto, in Notis ad Themistii Orat. p. 181. adducti, in hunc sensum: *Accipe, quid? nescio. Repone: quò? nescio. Fiet tunc: quando? nescio. Insuffla; donec nihil remaneat in domo.* Aliæ similes querelæ de impostoribus, Omnia divitum bona, in Fumum & Nihil solventibus, leguntur collectæ ab Henrico Salmutho, in Notis ad Pancirolli Nova Reperta Titulo VII. de Alchymia, Nobis liceat scitam imitari translationem, atque in hac scriptione intueri Lehmannum *ἄπανθροπικόν*, sive Nihil, Aliquid, Omnia. Natus Belgeræ, oppido, quod uno milliari Torgavia abest Anno M DC XVI. die IX. Septembr. Patrem habuit Simonem Lehmannum, Civem & Senatorem honestissimi nominis, quem Anno M DC XXXVII. miles Suecicus teterrimus fauciatum vita exturbavit; matrem Mariam, Georgii Fischeri, Civis & Oenopolæ Senatorii filiam, & ipsam optimam fœminam. In lucem editus charissimus erat Parentum filius, sed extra DEum, extra Christum, Nihil. Qua de causa prima eorum cura erat filium baptismi aquis regenerari, altera, quam primum atas ferebat, in pietatis & literarum bonarum fundamentis institui, ut cum jam Aliquid esset, indies magis incrementa caperet. Diligenter opera hac functi sunt Præceptores tum Scholæ oppidanæ, tum provincialis Grimmensis, M. Merkerus, M. Schaius, M. Sommerus per sex annos, eo successu, ut Anno M DC XXXVIII. Academiam Wittebergensem ingrederetur. In hac tamen diu commorari non concedebatur, quod in difficillimis illis bellitemporibus exercitus Suecicus ad Torgaviam castra metaretur, & oppidum patrium in cineribus jaceret. Itaque Lipsiam, quæ semper asyllum pauperum Studiosorum fuit, se contulit. Ubi DEI providentia, non sine fausto omine D. Johannes Hopfnerus Superintendens in aedes suas nostrum recepit, eique filios duos juniores informandos tradidit, donec in Scholam Electoralem Grimmensem Anno M DC XLI. mitteret. Inter hæc Lehmannus tam in Scholis Philosophicis se exercebat, ac doctis omnibus applaudentibus, Sum-

Summo in Philosophia honore condecorabatur, quam in Theologicis æternis illis Ecclesiæ luminibus, Hülsemanno, Carpzovio, Kromayero auditor attentissimus assidebat. Porrexit etiam manum Serenissimus Joh. Georgius I. Elector gloriosissimæ memoriæ, & numerato stipendio tenuitatem sublevavit, ut egregia Studia sua commodius tractaret. Sub ejusdem anni XLI. finem, cum noster alio concedere cogitasset, ab exercitu Suecico, Imperatore Torstensonio, urbem obsidente invitus concludebatur, DEO tamen benevolente, ut ab eadem gente, a qua Patri internecio, Filio salus accideret. Etenim, ut urbs tradita fuit in potestatem hostium, mox erat Dux cohortis militaris Erich Hansson Ulffspaar, Gubernator Wismariensis, qui Virum juvenem doctum ac prudentem, cui unici filii studia regenda & vitam gubernandam concederet, desiderans, Lehmannum ei præfecit. Commendatus Viro militari erat a D. Gottfriedo Welschio, Professore & Facultatis Medicæ Decano, cujus Patroni tunc sui, deinde Amici integerrimi grata semper fuit apud eum memoria, quæ eadem quoque Academiæ semper est honorabilis. Evacuantibus urbem Svecis cum nobilissimo juvene Wismariam profectus est, ad iter in Belgium deinde suscipiendum: sed id propositum, mutato Aulae Suevicæ statu, irritum fuit. Post, ubi ipsi optio data fuisset, utrum in Sueciam simul, an aliorum ire vellet, dissuasit transmarinum iter Wrangelius, Imperator militiæ Suevicæ summus, pollicitus, se factum & curatum daturum esse, ut Stetini officium nancisceretur. Vix in eam urbem venerat, cum Diaconatus in Templo Arcis ei offerretur; quem antequam capefferet in Misniam regrediebatur, ut de bonis patrimonialibus disponderet. Accedebat tunc Hülsemannum indicaturus, quæ de se gererentur, ejusque consilium rogaturus. Hic ante omnia judicavit necessarium Stipendiato, licentiam ex his regionibus discedendi a Principe peti. Petebat ille humillime, non impetrabat, jubebatur, autem exspectare; fore ut opera ejus Ecclesia harum terrarum utatur. Exspectabat igitur Lipsiæ. DEI autem providentia opus quod constituerat, mox ab imo exordiebatur, in summum fastigium eductura. Nam Amplissimus Senatus Urbis ipsum Concionatorem Sabbathicum constituebat: Quas partes tribus annis administrans, Anno M. DC LV. Senatus Weissenfelsensis, Pastorem & Superintendentem rogabat, & gratia Serenissimi Joh. Georgii I. Electoris obtinebat. In quo arduo officio Jesum suum, petram salutis Leucopetræis, quindecim annis, prædicavit, & usque ad vitæ finem prædicaturus erat, nisi DEUS avocasset. Etenim, cum Studia sua in hac urbe tractans, ac Concionatoris Sabbathici spartam ornans, benevolentiam Senatorum primorum meruisset, a Facultate Theologica Anno LIX. Licentiatus, Anno LXVII. Doctor creatus esset, ea non solum conservata, sed ita aucta est, ut post beatum excessum D. Reinharti, Prof. Publ. & Superintendentis sublime munus Ephoriæ, non petenti, immo ne cogitanti aut exspectanti decerneretur. Neque tamen facile in se recepit, sed postquam Theologorum præcipuorum consilia in eo convenissent omnia, non licere conscientia salva repudiare: Servi bonæ fortis esse, sequi vocantem Dominum. Prima concione auspiciatus est officium Dominica Quasimodogeniti Anno M. DC LXX. Sequenti Anno in Professione Theologica D. Kromayero a Sereniss. Joh. Georgio II. Electore, gloriosissimæ recordationis, Successor dabatur. Anno LXXVII. in Capitulum Cizense, Anno LXXXIV. in Cathedralem Ecclesiam Misnensem Canonicus, & in Minore Principum Collegio, Collegiatus recipiebatur. Ad Decemviratum Academiae eodem Anno adscendit, ad quem pertinentes functiones, Directoris Oeconomiae, & Præpositi Collegii Paulini omni studio ac dexteritate administravit. Conjugem duxit adhuc Weissenfelsæ ornatissimam Virginem Barbaram, Georgii Wendlandi, Senatoris Lipsiensis filiam, ex qua sex Liberos suscepit, de quibus quatuor superant, Maria Barbara, Generosissimo Hans Friderico de Römer in Schneckengrün, Canonico Merseburgensi nupta, Georgius Heinrichus, quem, an inter vivos mortuosve numeremus, a septem annis non constat satis; Gottfriedus Cunradus, Senator hujus Urbis; Barbara Sophia, Generosissimi Hans Friederici de Metzsch, in Otterwisch Hæreditarii, conjug. Ex filii alterius conjugio cum Regina Elisabetha, nepte Nobilissimi ac Amplissimi Consulis, Adriani Stegeri, cujus cata canaque prudentia, Civitatem hanc diutius frui, DEUS velit, tres nepotes, ex filia altera, tres neptes amplexus est. Diceres nunc Lehmannum, ex infimo ministerii ecclesiastici loco ad summum in hac urbe elatum, Verbum DEI recte docentem, ad exemplum gregis sui inculpate viventem, atque ab omnibus Patris instar honoratum & amatum, omnia fuisse. Verum ipse Pauli humilitatem imitatus, se aliquem, immo minimum, Ecclesiæ ministrum reputavit. Et ne se efferret, non defecerunt tribulationes, quibus exerceretur,

Zc 3356 A

teretur, curæ, invidia, persecutiones, morbi corporis, mors quoq; conjugis, cum qua XXXVII, annos summa concordia vixerat, die XVII. Junii Anno M DC XCII, extinctæ. Derelictum se vidit vidus Senex, cum ejus cura maxime opus habere inciperet. Longe vero gravius jacturam hanc sensisset, nisi amor Liberorum Patri suo magna sollicitudine subvenisset. Interim tamen solita munia obiit ultra, quam vires corporis sæpe ferrent: quoties venerabilem virum vidimus Spiritu vix anhelantem suggestu & templo excedere? Dominica Oculi nuper in Concione matutina frigore corripiebatur, aliquot horas durante: id ardor & pleuritis insequiebatur. Quæ initio fiebant excretiones, tertio die ex debilitate senili plane cessabant. Unde respiratio difficilior evasit, viresque conciderunt. Nihilominus animo semper firmus & erectus pro Ecclesia, urbe, suis, DEUM ardentem rogavit, atque sedens animam, quam paulo ante SS. Domini Cœna refecerat, in Salvatoris sui manus placidissime tradidit, die XVI. Martii hujus, noctu non diu post horam XII. Vixit annos LXXXII. menses VI. hebdomadas duas. In Dedicatione libelli initio laudati ad Senatum Urbis Vir beatissimus Anno Christi M DC XCIII. scripsit: *Ex Virium paulatim deficientium statu sentio, quam non procul a sperato toties cali Hospitio absim: Estque hic scopus precum omnium, quas non sine lacrymis fundere soleo, ut tandem aliquando DEUS, qui beneficiis, ad clementissimi Hospitis instar, plane me obruit, sinem itineri meo felicem, morte placida ac molli imponere velit.* Quid ex lacrymis piorum Alchymistæ efficere aggrediantur, Johannes Jebenius in discursu de Lapide Philosophorum, Rostochii 1645. edito, prodidit, ex quo hæc exhibere sufficit: *Quid, inquit ille, Alchymista potissimum intendunt? Ut animadvertentes, Naturam omnia summa homini concessisse, Deum nature authorem ardentius ament, & ex nobilissima hominis parte (liceat hic non philosophice loqui) extrahant id, quod multipliciter prodesse homini potest; hoc est, ut pias lacrymas ignis beneficio redigant ad pulvisculum, cujus naturam primo assumat auri non ita multum, & deinceps quævis particula auri hujus philosophici massam non exiguam plumbi vel alterius metalli imperfectioris in aurum convertat, & (quæ major virtus) agrotis quibuslibet in vino epota intra 24. horarum spatium, post profundum saporem Sanitatem pristinam restituat.* Hæc deliria, subjicit Gisbertus Voetius Selectar. Disputar. Theologicar. Parte I. pag. 678. etiam non sine impietate ex scripturis (Psal. 126. 5.) probari cœpta detegere, est refutare. Certe ex lacrymis piorum Alchymistæ, ut volunt, Omnia non conficiunt. At noster per lacrymas & preces Christi passione, morte, & resurrectione nixas, consecutus est Animæ Sanctitatem omnimodam, amorem Dei consummatum, gaudium perfectum, & quæcumq; sunt Vitæ celestis bona omnia: Idem Corpori suo post quietem in terra, & resolutionem in cineres, vitam, sanitatem, immortalitatem, vitæ beatæ Omnia obtinuit. Ad quam expectationem certissimam cum hodie hora I. funus in Templum Nicolaitanum ducendum sit, Vos, Cives Academici, id, ea qua par est, frequentia, nobiscum comitemini. Quem virum vivum ingenue coluimus Omnes, mortuum Omnes sancte veneremur. P. P. die XXIII. Mart, Anno Christiano M DC IC.

Literis ZSCHAUIANIS.

VOT

MO

F.K. 60.

3

X 2055028

Zc
3356

RI
UNIVER
VENER
DN. C
LEH
S. Theologiae D
Pastoris ad S. Nic
Consistorii Ecclesiastici
Decemviri, Nat
Prim
hodie XXII
Civibu

ENSIS
ULIS
GII
NI,
is Primariū,
rintendentis,
ensis, Academiae
Minoris
DC. IC.

